

foemina : et in hoc casu dicenda est missa quotidiana cum tribus orationibus, ut in missali ponitur, cum intentione speciali et principali, pro quibus obligatur (1).

4^o Oratio pro patre et matre dicitur tantum a celebrante pro propriis parentibus, non pro alterius.

5^o In quibusdam orationibus pro defunctis ponitur littera *N*, quæ exigit, ut exprimatur nomen defuncti; solum autem nomen, et non cognomen, neque dignitas, neque alia qualitas exprimi potest; et in orationibus, in quibus littera *N* non occurrit, nomen exprimi nequit (2).

Si celebretur pro Cardinali defuncto, dicitur oratio, ut in missali notatur. Si fuerit presbyter Cardinalis, et alicujus ecclesiæ Episcopus consecratus, juxta Castaldum dicitur : *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. Presbyterum Cardinalem, Pontificali fecisti dignitate vigere* (3).

Quæ orationes, et pro quibus defunctis in singulis missis dicantur, vide apud Guyetum *lib. 4, cap. 23, q. 29*.

Quoad sequentiam vid. rub. tit. V, n. 4.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI MISSAS VOTIVAS ET DE REQUIEM.

66. An sacerdos ratione foundationis vel accepti stipendii obligatus ad missas pro defunctis vel in honorem alicujus mysterii aut sancti celebrandas, tenetur celebrare missas de *Requiem* seu votivas, vel an propriæ obligationi satisfacit, dicendo missas diei currentis (4)?

(1) S. R. C. 16 Feb. 1781, n. 4252-4401, 5 et 6; Brassine cap. 10, n. 5.

(2) S. R. C. 7 Ap. 1832, n. 4538-4687; 19 Junii 1875, n. 5612.

(3) Lib. 2, sect. VI, c. 5, n. 6.

(4) Post primam editionem in 1851, multum de hac materia scriptum est. Vid. *Mél. théol.* 6^e sér. fol. 41, ubi inter alias quædam referuntur opiniones tanquam oppositæ, quæ tamen non tales, sed plane eædem sunt; item Bouvry de missis vot. n. 6, 7, 8, et de missis def. n. 8 et 9; *Revue théol.* 5^e sér. 1860, fol. 531. Omnibus autem, quæ opponuntur, iterum examinatis et bene consideratis, nihil hucusque mutandum visum fuit.

R. I. Si agatur de missis privatis pro defunctis, satisfacit celebrando missam diei 1^o in duplicibus aliisque diebus, quibus missæ privatæ de *Requiem* prohibentur, sive testator aut dans stipendium rogaverit dici missam de *Requiem*, sive non, juxta dec. gen. 5 Aug. 1662 (1). Consultum tamen est petentem instruere, ne scandalum patiatur. 2^o Satisfacit etiam in diebus, quibus missæ privatæ de *Requiem* permittuntur, nisi missa celebranda sit in altari privilegiato, aut nisi testator aut dans stipendium expresse rogaverit dici missam de *Requiem* (2) juxta idem dec. gen. citatum, quod quamvis tantum agat de duplicibus, Sacra tamen R. C. illud extendit ad dies liberos (3). Si autem testator aut dans stipendium expresse

(1) N. 2031-2178, cit. n. 64, not. 2.

(2) Ad privilegium altaris privilegiati sufficit, ut in diebus, in quibus missæ de *Requiem* juxta rubricas prohibentur, celebretur missa diei; aliis autem diebus, in quibus missæ de *Requiem* permittuntur, necessario requiritur missa de *Requiem*, ad lucranda indulgentiam, sive privilegium sit perpetuum sive temporale, sive locale, sive personale, nisi expositio ss. Sacramenti aut alia solemnitas missam de *Requiem* non permittat. Ita Constitutiones Alexandri VII, 22 Jan. 1667, Clementis IX, 23 Sept. 1669, et Innocentii XI, 4 Maji 1688, apud Gardell. in indice Altare; S. R. C. 27 Aug. 1836, n. 4631-4780, 5, et 22 Jul. 1848, n. 4962-5123; item S. Cong. Indulg. 14 Ap. 1840, a qua petatum fuerat ad 2. « Utrum » qui privilegium habet personale pro quatuor missis in hebdomadis » singulis, debeat cum paramentis colore nigro celebrare diebus non » impeditis, ut possit indulgentiam plenariam pro animabus defuncto- » rum lucrari? 3. Utrum qui celebrat in altari privilegiato pro singulis » diebus, debeat semper uti paramentis nigris diebus non impeditis, ut » indulgentiam privilegii consequatur? Eadem S. C. respondit ad 2. » Affirmative; ad 3, ut in secundo. » Apud Prinz. n. 500. Dictum autem est, nisi expositio aut alia solemnitas missam de *Requiem* non permittat juxta dec. S. R. C. 14 Aug. 1858, n. 5265, et S. Cong. Indulg. 20 Jul. 1751, apud Prinz. n. 200, et 11 Ap. 1864, in quo petitur : Utrum sacerdos celebrans in altari privilegiato legendo missam de festo semiduplici, simplici, votivam, vel de feria non privilegiata, sive ratione expositionis ss. Sacramenti, sive stationis ecclesiæ, vel alterius solemnitatis, fruatur privilegio, ac si legeret missam de *Requiem* per rubricas eo die permittam? Sacra itaque Congregatio... respondendum esse ducit : Affirmative, et facto verbo cum Sanctissimo... Sanctitas sua sententiam confirmavit, 11 Ap. 1864. Acta quæ apud S. Sedem geruntur vol. 1, fol. 42.

(3) 12 Sept. 1840, n. 4750-4897, 7. Decretum integrum refertur infra

voluerit dici missam de *Requiem*, tenetur celebrare de *Requiem* in diebus permissis (1); quia, ut dicitur in cit. dec. 3 Mart. 1761, expressa voluntas testatorum velulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri; sacerdos alias agit contra fidelitatem; et Pontifex non dispensavit super mentibus benefactorum, dum expresse rogaverunt dici missam de *Requiem* in diebus permissis (2). Si tamen celebrans in casu missam diei dicat, non videtur graviter peccare, ut infra dicitur ad IV.

Notandum, licet per missam diei satisfiat obligationi missæ pro defunctis, per se tamen loquendo et supposita æquali devotione, missam de *Requiem* magis prodesse defunctis, quam de die, juxta illud s. Thomæ: « Ex parte sacrificii » missa æqualiter prodest defuncto, de quocumque dicatur; » ex parte tamen orationum magis prodest illa, in qua sunt » orationes ad hoc determinatæ » (3).

II. Si agatur de anniversariis cantatis, fundatis in die obitus, sacerdos tenetur celebrare missam de *Requiem*: quia summus Pontifex, Alexander VII (4) tantum voluit cum appli-

ad IV. In eo petitur, an sacerdotes, qui diebus, quibus per rubricas licet missas de *Requiem* celebrare, missas privatas, oblato manuali stipendio pro uno vel pluribus defunctis, celebrant conformes officio, satisfaciant suæ obligationi. Et S. R. C. respondit: *Affirmative quoad missas pro defunctis juxta generale decretum diei 5 Aug. 1662* Quod idem est ac si responderetur: Satisfaciunt in diebus, quibus per rubricas missas de *Requiem* celebrare licet, sicut juxta decretum generale 5 Aug. 1662, satisfaciunt in duplicibus. Præterea idem confirmatur per sequens dec. S. C. *Indulg. 14 Ap. 1840* in quo ad I petitur: « Utrum sacerdos satisfaciat obligationi » celebrandi missam pro defuncto, servando ritum ferisæ vel cujuscumque » sancti, etiamsi non sit semiduplex aut duplex? Et S. C. respondit: *Affirmative.* » *Apud Prinz.* n. 500. Ita ut manifestum sit, celebrando missam diei in diebus, quibus missæ privatæ de *Requiem* permittuntur, satisfieri obligationi celebrandi pro defunctis, nisi missa de *Requiem* expresse petita fuerit, aut nisi sit celebrandum in altari privilegiato.

(1) S. R. C. 3 Jun. 1662, n. 2024-2171; 3 Mart. 1761, n. 4150-4299, 14; 12 Sept. 1840, n. 4750-4897, 7.

(2) Gavantus p. 3, tit. 12, n. 19.

(3) In 4 dist. 45, q. 1, art. 3, q. 1 ad 1; Cavalieri t. 3, dec. 70; Quarti p. 1, tit. 5, d. 7.

(4) In dec. gen. 5 Aug. 1662.

catione sacrificii satisfieri, et benefactorum mentem impleri quoad missas privatas; nihil autem statuit nec concessit quoad anniversaria, sed contra in decretis (1) initio missalis positus, « declaratum est anniversaria et missas cantatas de » *Requiem*, relictas ex dispositione testatorum, quotannis » in die ipsorum obitus (celebrandas) in prædicto decreto, die » 5 Augusti edito, minime comprehendi. » Quinimo S. R. C. decrevit (2) quod « obitus die impedito, non possit pro defunctorum anniversario cantari missa de occurrenti festo vel » feria privilegiata per applicationem. » Ideoque decreta statuunt, ut pro anniversario missa de *Requiem* cantetur in duplici etiam majori; et si dies impeditus occurrat, ut in primum diem non impeditum anticipetur vel differatur, ut ita pro anniversario non cantetur alia missa nisi de *Requiem*.

Quoad anniversaria cantata, fundata non pro die obitus, sed pro aliis certis et determinatis diebus, idem dicendum est ac de anniversariis pro die obitus fundatis, quia etiam, ut dictum est n. 61, die assignata impedita, anticipanda vel differenda sunt in primam diem non impeditam, ne unquam celebrentur nisi de *Requiem*.

III. Si agatur de missis cantatis defunctorum, fundatis sine assignatione dierum, vel non fundatis, etiam cantandæ sunt de *Requiem* (3), quia in dec. gen. 5 Aug. 1662, n. 2031-2178, tantum dispensatur super mentibus benefactorum quoad missas privatas. Ita S. R. Congregatio (4) decrevit, ut plures missæ celebrentur diebus, quibus permittuntur missæ privatæ defunctorum. Si autem dies permissi non sufficiant, celebrari potest missa diei (5), vel satius est petere indultum Pontificium, ut in duplici de *Requiem* celebrari liceat, sicut dictum est n. 61, vel per missam diei satisfieri possit. Item missa diei celebrari potest, si testator vel dans stipendium consentiat; ut si missæ fundatæ sint pro singulis

(1) 22 Nov. 1664, n. 2157-2304, et 1 Dec. 1666, n. 2234-2385.

(2) 22 Dec. 1753, n. 4088-4237, 3.

(3) S. R. C. 23 Aug. 1766, n. 4187-4336, 1.

(4) 10 Mart. 1708, n. 3633-3782.

(5) 24 Ap. 1706, n. 3595-3744; 1 Sept. 1708, n. 3645-3794.

diebus vel statis per hebdomadam diebus : cum enim fundator prævidere potuerit, missam de *Requiem* in singulis vel statis diebus sæpius fore impediendam, censendus est consensusse, ut missa diei in diebus impeditis celebraretur (1).

IV. Sacerdos obligatus ad missam in honorem alicujus mysterii aut sancti celebrandam, tenetur celebrare votivam, et non satisfacit per missam diei, nisi in casibus infra excipiendis, juxta dec. S. R. C. (2) quorum ultimum sic habetur :
 „ In variis diocesis Belgii juxta doctrinam in seminariis
 „ traditam usus invaluit, ut his diebus, quibus per rubricas
 „ licet missas de *Requiem* et votivas celebrare, sacerdotes
 „ missas privatas, oblato manuali stipendio pro uno vel plu-
 „ ribus defunctis, vel votivas in honorem alicujus mysterii
 „ vel sancti habentes, celebrent conformes officio, quod illa
 „ die recitarunt, ad satisfaciendum susceptæ obligationi ;
 „ dummodo fideles expresse non rogaverint dici missas de
 „ *Requiem* vel votivas. Usus iste nititur imprimis rubricæ
 „ missalis tit. IV de M. vot. n. 3, quæ præscribit, ut quoad
 „ fieri potest, missa cum officio conveniat ; deinde auctoritati
 „ s. Alphonsi de Ligorio, qui in theologia morali lib. IV,
 „ tract. 3, n. 422, dicit communissimam et probabilem esse
 „ hanc sententiam : petitur ergo, an præfati sacerdotes
 „ satisfaciant suæ obligationi ? et S. R. C. rescribendum
 „ censuit : *affirmative quoad missas pro defunctis juxta*
 „ *gen. dec. diei 5 Aug. 1662 ; in reliquis negative.* „ Rationes sunt *juxta Brassinne cap V*, quia qui obligationibus acceptatis et promissis onerosus non stat, per se loquendo infideliter agit, ac fidem datam violat ; 2º quia valor missæ accidentalis crescit ex ritibus et orationibus pro his et illis institutis et a dante eleemosynam intentis ; quia dans eleemosynam quandoque non leviter offenditur, si percipiat missam dici diversam ab ea, quam ipse petivit. Ratio autem, quare per missam diei satisfacit obligationi celebrandi missam

(1) S. R. C. 3 Jun 1662, n. 2024-2171 ; 2 Sept. 1690, n. 3079-3228, 1.

(2) 19 Maji 1614, n. 342-489 ; 9 Dec. 1634, n. 862-1009 ; 3 Mart. 1761, n. 4150-4299, 14 ; 12 Sept. 1840, n. 4750-4897, 7.

pro defunctis, et non votivam, est dispensatio seu interpretatio summi Pontificis, qui ex suprema, quam in Ecclesia habet, potestate potest interpretari benefactorum voluntates quoad pias causas : quod et fecit quoad missas privatas defunctorum per dec. cit. 5 Aug. 1662, quo pro illis cum applicatione sacrificii satisfieri et benefactorum mentes impleri voluit ; sed non quoad missas votivas, quibus igitur ut satisfaciat, ipsæ missæ votivæ celebrari debent, nisi in casibus infra excipiendis (1).

Tres missæ, quas ordinati presbyteri post primam suam missam celebrare tenentur, non possunt dici in duplicibus, sed in diebus a rubrica permissis (2).

Not. autem, sacerdotem, si loco missæ votivæ celebret de die, non videri graviter peccare (3), quia idem est valor essentialis, valor autem accidentalis non tam grave infert præjudicium ; tum quia virtus fidelitatis in casu non tam graviter obligare videtur : in dec. 3 Mart. 1761 sacerdos quidem dicitur propriæ obligationi non satisfacere dicendo missam de die ; sed responderi potest, id esse intelligendum quoad valorem accidentalem, cujus defectus non videtur tam grave inferre præjudicium et peccatum.

(1) Observatum fuit, 1º decretum citatum 12 Sept. 1840, tantum agere de diebus, in quibus votivæ permittuntur, et proinde inde non sequi, obligationi missæ votivæ non satisfieri in duplicibus celebrando missam diei ; 2º distinguendum esse inter missas votivas et missas petitas in honorem alicujus sancti aut mysterii ; per missam diei non satisfieri missæ votivæ, sed quidem missæ petite in honorem sancti aut mysterii. Respondetur ad 1, decretum cit. 19 Maji 1614, quod ad exceptionem tertiam affertur, agere de duplicibus. Ad 2, huic distinctioni obstare decretum 3 Mart. 1761, 14, in quo petitur, an dicendo missam de die satisfaciat, si ipsa in honorem alicujus sancti petita fuerit, modo sacerdos non expresse promiserit, se illam de sancto celebraturum : in petitione igitur excluditur promissio, et expresse non petitur votiva sed missa in honorem sancti ; et tamen S. R. C. decrevit, dicendo missam diei, diebus licitis obligationi non satisfieri. Unde concludendum est missam peti votivam, quotiescumque in honorem sancti aut mysterii petitur.

(2) S. R. C. 11 Ap. 1840, n. 4731-4878, 5.

(3) Quarti p. 1, tit. 4, d. 11, et Busembaum l. 6, tract. 3, c. 3, d. 1, n. 8 ; Hausherr Nro II, § 1, n. 1.

Excipiuntur sequentes casus, in quibus missam diei celebrando satisfat obligationi missæ votivæ : 1° si habeatur indultum Apostolicum (1). 2° Si postulans missam votivam, consentiat, ut missa diei celebretur. 3° Si missa votiva accepta sit, quæ celebrari non permittitur, ut in honorem mysterii, beati etc. : hujusmodi quidem onus suscipere non licet; pro satisfactione tamen oneris jam suscepti celebranda est missa officii currentis cum applicatione sacrificii ad mentem benefactorum (2). 4° Si missa votiva accepta sit pro die, in qua occurrit officium duplex aut æquivalens, quod prohibet votivam, et differri nequeat. Missa votiva accipienda non est nisi pro die, in qua celebrari permittitur; si accepta sit, differenda est in diem liberam : si autem differri nequeat, sufficit applicare valorem missæ diei juxta dec. 3 Sept. 1612, in quo Sanctitas Sua approbavit sententiam Congregationis “ quod in futurum non recipiatur obligatio ad missas votivas “ celebrandas, nisi pro diebus, in quibus secundum regulas “ missalis celebrari possunt. De missis vero votivis jam “ acceptatis et non celebratis Sanctitas Sua dixit, ut transferatur earum celebratio in dies, in quibus liceat secundum “ rubricas missalis illas celebrare, et in hoc solum dispensare voluit, ut celebrari possint in alio die non impedito, “ quando missæ dicendæ relictæ vel legatæ sunt in die impedito. Quia vero multitudinem missarum jam acceptarum “ tantam esse narratum fuit, ut pro illis satisfaciendis et “ celebrandis, non sufficiant dies non impediti festo duplici “ aut dominicis et aliis privilegiatis diebus, facta iterum relatione eidem SS^{mo} sub die 12 ejusdem mensis Sept. 1612, “ Sanctitas Sua dispensavit, ut pro missis jam acceptatis, “ quæ non possunt celebrari diebus non impeditis, sufficiat “ applicare valorem missæ currentis et ordinariæ, tam pro “ vivis, quam pro defunctis, qui postulaverunt missas votivas “ (3). Decretum quidem est particulare, sed cum ut

(1) S. R. C. 28 Sept. 1872, n. 5527 et 5528.

(2) S. R. C. 24 Jul. 1671, n. 2403-2555; 18 Sept. 1706, n. 3602-3751, 1; 29 Jan. 1752, n. 4074-4223, 7; 22 Dec. 1753, n. 4088-4237, 5.

(3) 19 Maji 1614, n. 342-489.

regula habeatur in pluribus aliis casibus, ut generale haberi potest etiam quoad ultimam partem seu dispensationem : ita S. R. C. decrevit missam diei celebrandam esse cum applicatione sacrificii, si votiva statis diebus impeditis occurrat (1); item missam diei dicendam esse in diebus impeditis, si votiva pro singulis diebus fundata sit (2). Not. autem, quando loco missæ votivæ celebratur de die, consultum esse postulantem instruere, ne ei detur occasio admirationis, indignationis et murmurationis.

67. Occasione hujus materiæ sequentes casus proponi possunt : sacerdotes obligati ad celebrandum pro vivis, seu ad intentionem dantis, legunt missam de *Requiem*; item alii celebrant missam votivam pro missa diei aut de *Requiem*, an rite faciunt?

R. 1° Si qualitas missæ a dante eleemosynam præscripta fuerit, hanc sacerdotes servare tenentur, ne fidelitatem violent. 2° Licet autem qualitas missæ demandata non fuerit, hæc tamen per se non conveniunt, nisi sufficiens causa excuset, v. g. si sola paramenta nigra in sacristia offerantur; si adsit consuetudo cantandi feriis quintis votivam ss. Sacramenti, aut sabbatis votivam B. M. V. in casu quo votiva privata permittitur. 3° Si tamen qualitas missæ præscripta non fuerit, certum est juxta Cavalieri, illos sacerdotes ad restitutionem minime teneri, quia fructus principalis æqualis est in omnibus missis (3).

DE CÆCUTIENTE DISPENSATO AD LEGENDAM MISSAM VOTIVAM
B. M. V. ET DE REQUIEM.

68. Dispensatio, qua sacerdoti cæcutienti vel gravi ætate

(1) 24 Jul. 1683, n. 2880-3029, 6; 15 Feb. 1727, n. 3819-3969.

(2) 22 Dec. 1753, n. 4088-4237, 7; 21 Jan. 1766, n. 4182-4331; Quarti p. 1, tit. 4, d. 11; Vinitor p. 1, tit. 4, annot. 6; Brassinne de m. vot. c. 5 ad II.

(3) Vid dec. S. R. C. 29 Nov. 1856, quod refertur *Revue cath.* 1857, fol. 500; Cavalieri t. 3, c. 10, n. 19.

presso permittitur celebrare singulis diebus missam votivam B. M. V. et de *Requiem*, pertinet ad Summum Pontificem seu s. Congregationem Concilii, nisi Episcopus apostolica facultate fuerit munitus (1). Concedi solet in sequente tenore, prout data est 21 *Sept.* 1829, quando « SS^{us} Dominus, audita » relatione Secretarii S. C. C., benigne commisit Ordinario » loci, ut veris existentibus narratis, et dummodo orator » non sit omnino cæcus, memoriter non recitet, celebret in » oratorio privato, aut etiam in publica ecclesia, hora tamen » a populo minus frequentata, et cum alio assistente sacer- » dote, quatenus eo indigere videatur; petitam licentiam » celebrandi diebus festis et duplicibus missam votivam » B. M. V., diebus vero ferialibus missam defunctorum, » per triennium proximum tantum, si tam diu enuntiatus » defectus perduraverit, pro suo arbitrio et conscientia » oratori gratis impertiatur, cum facultate hujusmodi licen- » tiam prorogandi toties, quoties opus fuerit, si facto expe- » rimento cognoverit oratorem in eadem visivæ potentia » debilitate perdurare, viceque versa præfatam licentiam » denegandi, si orator in sacro peragendo defecerit, aut » omnino cæcus evaserit, super quibus ipsius Ordinarii et » oratoris conscientia onerata remaneat. »

« Conditions apposita in hujusmodi privilegiis non sunt » meræ ritualitatis et styli, sed obligatoriae in conscien- » tia » (2). Unde I, cum dicatur : *dummodo orator non sit omnino cæcus*, si quis cæcutiens dispensationem obtinuerit, et interea omnino cæcus fiat, vi illius clausulæ absque novo indulto in celebratione licite perseverare non potest, agitur enim tantum de cæcutiente seu visus debilitate laborante, non autem de totaliter cæco (3).

II. Dicitur : *cum alio assistente sacerdote*, quatenus cæcutiens eo indiget, vel hæc obligatio in indulto apposita fuit; si autem agatur de sacerdote cæco, hic sub gravi tenetur uti

(1) S. R. C. 12 Ap. 1823, n. 4444-4594, 11, 1.

(2) S. R. C. 16 Mart. 1805, n. 4348-4498, 4.

(3) Idem dec. ad 3.

assistentia alterius sacerdotis, quamvis etiam hæc obligatio in indulto apposita non fuerit (1).

Assistens, superpelliceo indutus, in hac missa omnia facere potest, quæ alias in missa solemni per assistentes fieri solent; item pedem calicis tenere ad crucisignationes et similia, initia orationum dicere, et præcipue diligenter attendere, ne reliquæ s. Hostiæ in corporali et patena relinquantur.

III. Dicitur : *diebus festis et duplicibus missa votiva B. M. V. diebus vero ferialibus missa defunctorum*. Circa quæ notandum 1^o quod per dies festos et duplicia intelligantur dominicæ etiam privilegiatæ, et duplicia etiam 1 et 2 cl., ut Nativitas Domini, Pentecostes, dominica palmarum, alii- que dies privilegiati : ita ut hæc missa votiva B. M. V. semper permittatur, nulla die quantumvis solemni excepta, etiam in festis B. M. V. (2). Quod per votivam intelligatur illa, quæ in missali assignatur a pentecoste ad adventum, vel, modo facile fieri possit, assignata secundum tempus. 3^o Quod hæc missa votiva semper sit celebranda in colore albo, et more votivo sine *Gloria* et *Credo* etiam in dominicis, festis et infra octavas B. M. V. (3). In sabbatis tamen dicitur *Gloria*, sicut in aliis votivis B. M. V. in sabbato. 4^o Quod non sit facienda commemoratio officii diei, neque addenda collecta imperata, sed secunda oratio dicenda sit de Spiritu Sancto, et tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa. 5^o Quod per dies feriales intelligantur omnes et soli illi, in quibus licet celebrare missas privatas de *Requiem*; non vero octavæ privilegiatæ, feria quarta cinerum, hebdomada sancta, vigiliæ nativitatis, epiphaniæ et pentecostes, in quibus dicenda est missa votiva B. M. V. 6^o Quod, quamvis dicatur *diebus ferialibus missa defunctorum*, his tamen diebus cæcutiens non teneatur celebrare de *Requiem*, sed semper ad arbitrium celebrare possit missam votivam B. M. V. (4).

(1) S. R. C. 12 Ap. 1823, n. cit. 11, 2.

(2) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 4941-5102, 8.

(3) S. R. C. 23 Feb. 1839, n. 4701-4847, 1.

(4) S. R. C. 16 Mart. 1805, n. 4348-4498; 20 Sept. 1806, n. 4351-4501, 5; 12 Ap. 1823, n. 4444-4594, X et XI; 28 Ap. 1866, n. 5364.

Not., cum hæc omnia sint privilegia, et liberum sit privilegiis uti, cæcutientem, si commode possit, rubricas laudabiliter servare; omnia autem, ad quæ privilegia non extenduntur servare debere, etsi usui esse nequeant; et proinde celebrare teneri cum missali et omnibus aliis requisitis. Item in festo nativitatis Domini non tres, sed unam tantum missam votivam B. M. V. celebrare potest (1).

IV. In rescripto indulti facultatis dispensandi, datæ 21 Nov. 1872 Illmo Archiepiscopo Mechliniensi additur clausula: *Injuncto onere, si opus fuerit, ut alter sacerdos, superpelliceo indutus, iisdem celebrantibus assistat, et dummodo, si fuerint parochi, per alium sacerdotem missam officio occurrenti respondentem celebrare faciant, quoties pro populo applicare tenentur.* Vi hujus clausulæ parochi dispensati, si ipsimet missam parochialem officio occurrenti correspondentem in dominicis et festis celebrare nequeant, curare tenentur, ut hæc per alium celebretur et applicetur. Si autem alium sacerdotem non habeant, et ipsimet missam officio correspondentem celebrare non valeant, certo non excusantur a missa pro populo applicanda; et cum non nisi votivam celebrare valeant, eam pro populo applicare tenentur, eo magis, quòd applicatio missæ officio correspondentis in rescripto injungatur, non ut conditio, a qua dispensationis valor dependet, sed ut onus injunctum, a quo gravis causa excusare potest.

Titulus VI.

DE TRANSLATIONE FESTORUM.

Rub. *In dicendis Missis servetur ordo Breviarii de translatione festorum Duplicium, quando majori aliquo festo seu Dominica impediuntur. In Ecclesiis autem, ubi*

(1) S. R. C. 11 Ap. 1840, n. 4731-4878, 4.

Titulus est Ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum festum quod transferri debet, possunt cantari duæ Missæ, una de die, alia de Festo: excepta Dominica prima Adventus, feria quarta cinerum, Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Palmarum cum tota Hebdomada majori, Dominica Resurrectionis et Dominica Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis et Festo Corporis Christi.

69. Not. 1° Dicitur *titulus vel concursus populi*, quæ verba intelligenda sunt disjunctive, ita ut sufficiat alterutrum, vel solus titulus, vel solus concursus v. g. ad lucrandas indulgentias in festo concessas (1). Concursus autem debet esse extraordinarius (2).

2° Dicitur *quod transferri debet*: rubricæ hujus terminis insistendo, sequitur missam votivam tantum posse cantari, de iis festis duplicibus, quæ transferuntur, et non de aliis duplicibus, nec semiduplicibus vel simplicibus. aliisque sanctis, qui in officio non habentur: attamen S. R. Congregatio statuit (3) de festo simplici ratione concursus posse cantari missam votivam solemnem; quod, quia eadem est ratio, ad alios sanctos, ad quos populus concurrat, et quorum neque commemoratio in officio habetur, extendi posse videtur, modo fiat in die festivitatis horum sanctorum.

3° *Possunt cantari duæ missæ*, adeoque non debent, sed potest cantari sola missa diei, quæ tamen in casu celebrari debet. prout officium exigit, sine commemoratione festi translati aut alterius sancti ad quem fit concursus; quia rubricæ missalis, prout nunc sunt, hanc commemorationem non admittunt (4).

(1) S. R. C. 24 Jan. 1665, n. 2164-2311; 13 Jun. 1671, n. 2390-2542, 2 et 5; 10 Mart. 1714, n. 3715-3865; 3 Sept. 1746, n. 4034-4183.

(2) S. R. C. 23 Sept. 1837, n. 4666-4815, XII, q. 4.

(3) 13 Jun. 1671, n. cit.

(4) S. R. C. 16 Ap. 1853, n. 5183, 13; Quarti p. 1, tit. 6, d. 2.